1. Carta sobre el martirio del P. Juan de Ganivo = 1748
2. Theses Philosophicae = Hispali = Vazquez = 1783
3. . Disertacion de la bula =
4. . Clave memorial = Sevilla = Cabrera =
5. . Viage del Cardenal Barberino en España = Madrid = Sanchez = 1626.
6. Capitulaciones de la paz entre España y Olanda = Madrid = Monroy = 16[illegible]
7. . Rentas y efectos de varios hospitales = Madrid = Buendia = 1650
8. . Respuesta de Mateo de Lisón sobre la venta de Vasallos = 1626
9. . Oratio pro Generali Comunitarum = 1662
10. . Oracion funebre al emperador Fernando 3º = Madrid = Nieto = 1657
11. . La yuba en el nuevo Mapamundi hispanico = Madrid = Gonzalez = 1622
12. . Bulas en favor de la orden de S. Juan de Dios =
13. . Sermon a la Conquista de Sevilla = 1631
14. . Sermon a Sto. Domingo = Alcala = Duplastre = 1628
15. . Sermon a la Virgen de Atocha = Madrid = Monroy = 1668
16. . Sermon a las honras de Fr. Geronimo Gracian = Madrid = Sanchez = 1614
17. . Pronostico del año 1666.
18. . Lamentaciones evangelicas.

2. ✠ 26 74

THESES PHILOSOPHICÆ,

QUAS

SANCTISSIMO PRÆSULI,

AC FULGIDISSIMO ECCLESIÆ LUMINI,

MAGNO PARENTI AUGUSTINO,

PER MANUS FILIJ SUI

Rmi. P. M. Fr. FRANCISCI GUTIERREZ

DE TORTOZA,

EX-ASISTENTIS GENERALIS,

ET HUJUS BÆTICÆ PROVINCIÆ

RECTORIS PROVINCIALIS,

IN PECULIARIS CLIENTELÆ,

GRATISSIMIQUE ANIMI SUI ARGUMENTUM

OFERT, DICAT, ET CONSECRAT

Fr. FRANCISCUS DAZA,

IN MAGNO HISPALENSI COENOBIO

PHILOSOPHIÆ AUDITOR.

PRÆEST CONCERTATIONI

R. P. Fr. ANTONIUS RUIZ,

in præfato cœnobio Lector Theologus.

****

DIE XV. *MENSIS FEBRUARIJ*

Hispali MDCCLXXXIII.

Cum approb. & cum perm. D. Censoris Regij. Ex Typog. Emm. Nic. Vazq. & Franc. Ant. Hidalgo.

SANCTISSIME PATER.

DUM PUBLICUM AUDEO SUBIRE CERTAmen, Philosophia vix delibata, te Patronum eligere meritò judicavi: te namque auspice, atque tutore, nil

nil certè arduum, asperum nihil, quod non mihi, & facilè reddatur, & prævium; etenim tot, tantisque ubique virtutibus fulges, ut ad quascumque, & dubitationis, & ignorantiæ tenebras difugiendas, te solum sufficere, nemo sit, qui non videat; siquidem tu es, Beatissime Præsul, Præcipuum Ecclesiæ Lumen (1) inter Doctores Ecclesiæ præcipuus, (2) præcipuus Pater, & Doctor (3) Magister Ecclesiæ (4) Doctor præcellentissimus: (5) tu Dux Ecclesiæ, (6) Doctor tutissimus, (7) Fulgentissimum Ecclesiæ Catholicæ Lumen, & Maximus Doctor: (8) tu optimus fidei Magister, (9) norma, & regula Doctrinæ Catholicæ, (10) Ecclesiæ authoritas, (11) Oraculum Spiritus Sancti, (12) tu Scriptis irrefragabilibus Ecclesiæ illustrator, (13) Omnium Ecclesiæ dificultatum quies, (14) quem per omnia sequi V. Sin. Gen. fatetur: tu novus fidei conditor, (15) Ecclesiæ lingua, (16) Æternæ vitæ fons, & novus Ecclesiæ Salomon, (17) Substentaculum omnium Doctorum, (18) Scrutator quatuor fluviorum scripturæ, creaturæ, culpæ, & gratiæ, (19) tu Pater theologorum, (20) SS. præsertim Anselmi, & Thomæ Magister, qui theologiæ quam Scholasticam vocant, omnium prius formam invenisti: tu gratiæ, fidei naturæ, atque eruditionis miraculum, saniorisque doctrinæ Magister, qui plusquam Salomon disputasti à Cedro, quæ est in Libano, usque ad Hyssopum, quæ egreditur depariete, Pseudo Philosophorum arma confringens: Tu :::: sed qualem te memorem Patrem Augustinum! Omnis laus inferior te est: ò sidus maximum! Augustine Pater, te Authore, te Magistro, ita omnia sunt lucida, ut errare non possit, nisi qui ex industria veilit allucinari, ait D. Thom. Villanovanus. Has igitur Philosophicas Thesses, Magne Pater Augustine, in amantisimi filij argumentum tibi sacratas benignus assume: parvum certè donum, sed tuæ celsitudini debitum, &

quo

quo maius præstare non valeo: at si minime decet, mei erga te cultum tan exili monumento testari ecce adest dilectissimus filius tuus R. P. M. Fr. Franciscus Gutierrez de Tortosa, ex Assistens Generalis, hujus Bœticæ Augustinianæ Provinciæ Rector Provincialis, vir verè sapiens, & alta mente præditus, cujus manibus te certe dignis, hoc munus offertur: in eo enim præter prudentiam, placabilitatem, humilitatem, integritatem, diligentiam, aliasque animi sui dotes, & egregia comitas, & humanitas singularis effulget, quibus omnes indistinctè prosequitur, & humanissimè fovet: pacis, & justitiæ amor, præcipua suæ dignitatis ornamenta, quorum primò partes lenitatis, & misericordiæ passim, & libenter agens, animos dissidentes paternali quadam clementia allicit, conciliat, & confœderat: secundo verò, cuique suum, mira solicitudine reddens, omnia esse ordinatissima mira suavitate disponit, & efficit: maxima animi liberalitas, qua in studiosos juvenes eximia confert beneficia, & quæcumque habet in pauperes filios distribuit, & in egentia monasteria, sublevanda gratis impendit ut possint, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei, Deo uberius, & religiose præstare: mira divinarum humanarumque rerum peritia, qua studia reformari, præcepit, & jam reformata fovere, ornare, & eficaciter munire, minime desinit, ut adolescentes in sana Philosophia, & Theologia, cum pura morali edocti, Cavillationibus, & Spiritu Sisthematico, penitus oblitis, sciant quod Religioni, quod Reipublicæ, quod sibi quisqne debeat, & utrisque in posterum fiant utiliores; sed sileo nam suam modestiam offendere proprijs laudibus pertimesco, etsi rem enarrem omnibus compertissimam: tanti ergo viri SS. Pater, tantisque ipsius virtutibus fratus, non dubito, quin hoc meum qualecumque munus ejus manibus tibi oblatum æquo animo suscipias,

&

& quod tuum præclarissimum nomen huic operi præfixum, & protectionem illi tribuat, & decorem.

---

(1) Six. V. (2) Six. IV. (3) Adrian. I. (4) Joann. 2. (5) Clem. X. (6) Clem. VIII. (7) Alex. VII. (8) Clem. XI. (9) Cœlest. I. (10) Felix IV. (11) Pasch. II. (12) Mart. I. (13) Inn. XI. (14) Leo. X. (15) D. Hyer. (16) D. Bern. (17) S. Fulg (18) S. Vinc. Ferr. (19) S. Thom. Aq. (20) S. Anton. de Flor.

EX PROLEGOMENIS.

PHYLOSOPHIAM, quam veteres Græci ante Pithagoram, teste Laertio, Sophiam, seu Sapientiam appellabant, quadrifariam in Scholis dividi solet in Logicam nempe, Methaphisicam, Ethicam, & Phisicam. Nos verò ne à Scholarum, consuetudine hic saltem recedamus priores facultates assignatas. Philosophiæ nomine intelligimus.

An Adamo cum cæteris naturæ, & gratiæ donis Philosophiam Deus fuerit impertitus, disputant inter se Doctores: affirmantem sententiam, nisi certam, probabiliorem saltem esse dicimus.

Adamo pæccante, non solum ipse, sed & humana mens, ait August. lib. de corrept. & grat. nedum spoliata fuit gratuitis, verùm etiam vulnerata in naturalibus: Hinc in omnes Adæ posteros ingenii tarditas, atque hebetudo, quare maximo studio, & labore acquirenda modo ea sunt, quæ donum forent gratuitum.

EX LOGICA.

QUATUOR sunt operationes intellectus, perceptio nempe, judicium, ratiocinatio, & methodus, à quibus omnis error in veritate investiganda derivat.

Logica, sivè sit organum organorum, uti Aristoteli, sivè Dialectica, uti Scolasticis, sivè ars philosofandi, uti allijs placuit, omnium consensu, est facultas, cujus munus mentis operationes ad verum dirigere, quare ei sedulo vacandum, & præscriptas ab ea regulas præ manibus habere debemus, ne in philosofando turpiter erremus.

DE

DE PERCEPTIONE.

PERCEPTIO, quæ idea quoque appellatur, duplex est, formalis, & objectiva. Idearum divitio in ideam substantiæ, modorum, & relationum adequata est. Necessariam judicamus idearum divitionem in sensationem, imaginationem; & intelectionem, non minus ac in universales, particulares, & singulares. Non omnes ideæ nostræ originem ducunt à sensibus; quare principium illud ab Scolasticis usurpatum, *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*, tamquam falsum, Religioni noxium, & veræ Philosophiæ contrarium rejicimus. Decem Aristotelis cathegoriæ, ad quas ipse reducit omnia cogitationum nostrarum objecta, tot misteriorum fœtu gravidem, ut parum utiles rejicimus: tales enim ad ritè formandum judicium, qui Logicæ Scopus unicus est minime prosunt, & nil certe magis arbitrarium, illa cathegoriarum serie, quæ ex imaginatione viri cujusdam apud quem nullum jus ad leges aliis scribendas prodierunt: quisque igitur uti potest jure suo ad disponenda objecta cogitationum: ideo Pulchorius, ad septem, reducit, Aristotelis Cathegorias; sed adhuc reduci possunt ad duas, nempe substantiam, & modum. Idem judicium ferimus de quinque Aristotelis prædicabilibus; quibus in studendis, & sciendis maxime insudant Aristotelici, sed inutiliter; quia quæcumque de ijs dictitant, aut nullius sunt momenti, post ea quæ de universalibus ideis dicuntur, aut falsa.

Sed præ omnibus necessariam putamus notitiam claritatis, & distinctionis idearum: tota enim confusio mentis nostræ ex eo provenit; quod ideam claram, atque distinctam de rebus cognitis non habeamus. Omnis obscuritas in ideis à confusione oritur, cujus causa sunt præjudicia infantiæ nostræ: ad confusionem vitandam, ideamque claram reddendam necesarium est. Aten-

I. Atentio debita, qua mens liberari possit ab incuria, & inconsideratione propter leves, vagasque hominum præsertim juvenum cogitationes; ut autem attentio comparetur diligentia adhibenda est in Studio, ad quod requiritur: I. Animum præparare proposito discendi: II. Fines proponere excellentissimos; non humiles, nec limitatos: III. Erigere animum ad aliorum exemplar, qui pervenerunt ad summa studio, ac industria: IV. Æquales antecellere laborare, honesta æmulatione: V. Otium religiose dispensare, ita ut nullus dies sine linea, nullum tempus idoneum, nulla occasio discendi prætermitatur: VI. In bene incepto persistere, donec fuerit absolutum.

II. Necessarium est ambiguitatem auferre, quod media definitione fit: definitio alia est nominis, alia rei: prima est illa, quæ explicat, non ethimologiam, sed sensum, in quo nomen accipitur: secunda est illa, quæ datur, per genus, & differentiam; vel per genus proximum, & differentiam ultimam, vel quia hæc non semper innotescunt, per genus remotum, & differentiam limitantem; aut tandem per proprietates, si proprium genus, & differentia non inveniuntur; sed maxime curandum, ut res cogitata proprio nomine declarètur, quia sepe contingit, ut verum mente conceptum, veluti falsum pronuntietur propter improprietatem nominis; quare sequentes difinitionis regulas asserimus, observandas.

I. Definitio clarior sit definito.

Vi hujus regulæ plures definitiones ab Aristotele assignatas, quæ res potius obscurant, quam illustrant, non posse vocari tales, credimus; tales sunt definitiones lucis, motus, &c.

II. In definitione nil sit superfluum, aut diminutum.

III. Definitio conveniat omni, & soli definito.

IV. Definitio reciproca sit cum suo definito.

Ex quibus hæc axiomata scitu digna judicamus.

Axio-

Axioma I. Cui convenit definitio, convenit & definitum.

II. Cui repugnat difinitio, repugnat & definitum.

III. Cui repugnat definitum, repugnat & definitio.

IV. Cui convenit definitum, convenit & definitio.

III. Necessarium est, ut recta methodus observetur in divisione, quia in multitudine rerum mens ad confusionem solet esse proclivis, quod ut assequamur curandum:

I. Ut a facillioribus incipiamus, deinde gradatim ad difficiliora progrediamur, aliter temerè ab uno ad aliud transileremus.

II. Divisio adequet totum divisum, ita ut nec plura, nec pauciora sint in divisione membra, quàm in toto diviso.

III. Divisio paucis constet partibus.

IV. Divisio recto ordine constituatur.

Ad perfectam idearum nostrarum intelligentiam, sequentes, regulas observandas statuimus.

I. Imaginatio, aut phantasia solum potest representare imagines objectorum sensibilium, quæ percipiuntur per sensus exteriores.

II. Imaginatio non potest ideam propriam objectorum insensibilium formare.

DE JUDICIO.

NIL optabilius est bona mente, æquabilitateque rationis; quare in id præcipuè nobis est incumbendum, ut judicium nostrum ritè, & accurate componamus: Malus enim rationis usus, non solum causa est errorum, quos scientijs inmiscemus; sed omnium ferme malorum, quae in vita civili committuntur: hinc ergo proveniunt injustæ, & male motæ lites, hinc præcosia concilia, hinc negotia temere suscepta: ideo maxime nobis adlaborandum,

dum, ut hac in parte ritè instituamur; ad quod utilem judicamus notitiam *Propositionis*, *&* *termini*, hujusque proprietatum; sed parum utilem credimus notitiam reductionis, conversionis, & equipolentiæ Propositionum: vult igitur mentem suam exercere speculatione rerum parum utilium, qui talia pertractat.

At supra modum utilem judicamus notitiam, fontium, seu originis, unde intellectus suos quasi exaurit errores, necnon plures regulas ad judicia nostra firmanda: erroris enim fontes duplicis sunt géneris, aliæ interiores, sivè ipsius naturæ intellectus, & exteriores aliæ, sivè quæ ipsi adveniunt ab extra: interiores sunt: I. Temeritas: II. Præcipitatio, aut levitas: exteriores sunt: I. Sensus corporis: II. Aliorum Authoritas: temeritas est nimia firmitas in sustinendo, quod semel judicavimus: ad hunc defectum vitandum sequentes regulas asserimus observandas esse.

I. Potest accidere quod ego deceptus sim.

II. Opinionem meam deserere debeo, dum alia appareat, quæ proximior sit veritati.

III. Veritatem amplecti debeo, etsi ex idiotæ hominis ore prodéat, aut inimici.

Levitas est summa velocitas in judicando, quod præsertim evenit in judicijs, nostras passiones allicientibus, ut apparet in obsequiis exterioribus, & laudibus externis, quas facile credimus esse sinceras, & cordis benevoli fœtus: ad hujusmodi mala vitanda, sequentes regulas observandas esse dicimus.

I. Prudenter dubitandum de judicijs amori proprio, cæterisque passionibus, aut propriæ commoditati allicientibus, si non in toto, saltem in parte.

II. Prudenter ut vera habenda judicia amori proprio, cæterisque passionibus, aut propriæ commoditati contraria.

 Alia

Alia est origo velocitatis in judicando, quæ dicitur consuetudo, qua fit, ut sine maturo examine rerum sententias feramus, & judicia formemus; quisque enim facillime judicat, quod multoties judicavit, & intellectus non nisi magna dificultate quiescit in via, quam multoties per ambulavit: ad hunc defectum vitandum sequens regula observari debet.

Nil ut certum habeamus hoc fundamento ducti, quod nempe illud, ut tale semper habuimus.

Exteriores fontes alliæ sunt propriæ corporis nostri, alliæ vero non: primi generis sunt sensus nostri: nil certè est, quod magis nos decipiat, ut experientia demonstrat, quam sensus nostri, etsi sani sint, & in tota sua naturali perfectione constituti: ut autem sensuum nostrorum errores vitarè possimus, sequentem regulam astruimus necessariam.

Maximam curam habemus debemus, ut non decipiamur à nostris sensibus, etsi sani sint, rectè proporcionati, & in distantia competenti.

Ut falsam rejicimus hanc regulam generalem à Fortunato de Brixia excogitatam: verum est omne id, quod sensus sani, & benè dispositi nos persuadent.

Ad hunc locum reduci possunt errores, qui originem ducunt ab experientia phisica, quæ non semper fidem meretur, & multoties nos decipit: ad talem defectum vitandum, sequentes astruimus regulas.

I. Experientia fieri debet à persona versatissima in materia illa, circa quam fit experientia.

II. Experientia fieri debet instrumentis non genericis, & impropriis, sed exactissimis.

III. Experientia fieri debet morosè, & multotiés.

IV. Experientia fieri debet animo indiferenti, & judicio ab omni præocupatione libero.

Alliorum Authoritas origo est alliorum errorum: debemus

bemus igitur intellectum nostrum liberare à nimiæ credulitatis pernicie, ratione cujus fidem cuilibet præstamus authoritati; quia verò cujuscumque authoritatis vis in eo sita est, quod quis, nec in sè deceptus sit, nec nos decipere vellit, ideo sequentes regulas fundamentales maximè necessarias statuimus:

I. Fidem non meretur cujuscumque hominis dictum, quando dubitamus, quod nos decipere voluit.

II. Fidem non merètur cujuscumque hominis dictum, quando dubitamus, quod ipse deceptus sit.

III. Nullam fidem meretur Vulgi authoritas.

IV. Authoritas humana, sivè sit hominis mente, & concilio præditi, sivè communis opinionis Doctorum, etsi venerationem mereatur, non ideò liberos nos relinquit, eam seriò examinandi, ut tamquam certam amplecti possimus.

V. Qui voluerit securè verum cognoscere, debet rem examinare animo indiferenti, solum respiciens ad rationes cujuscumque opinionis fundamentales, non ad numerum, antiquitatem, & qualitatem Doctorum.

Sed prædictum examen minimé fieri debet juxta principia alicujus sectæ particularis: toto enim corde rejicimus usum, qui in Scholis prævaluit, ut uni tantum sectæ sese addicant: nemini licet ut postea dicemus unicam eligere sectam, aut in verba Magistri jurare, sed præsertim cordato Philosopho, qui benè cogitare, & veritatem ad invenire desiderat.

Quia verò maximum est errandi periculum in Historicorum authoritate: ideo necessariam astruimus notitiam, & artis criticæ usum, ut eos vitare possimus, scientes:

I. Quod Poetæ parvam, aut nullam fidem merentur, quia fictiones in ijs communes sunt.

II. Quod Oratores majorem fidem, quam Poetæ merentur, sed non amplam, & totalem, maximè Panegiristæ,

tæ, quia aliquam cum Poetis habent affinitatem: phantasia enim communiter ducti, non nisi exageratione in alicujus laudes prorrumpunt.

DE RATIOCINATIONE.

SEX vulgò numerantur ratiocinationis species, nempe Silogismus, Enthimema, Inductio, exemplum, Dilemma, & Gradatio, seu Sorites, cujus usus speciosissimus: harum prima varias habet leges, figuras, & modos gratis ab Scholasticis adinventos, quos omnes tamquam operosos, & molestos, maximè implicitos, Schola ipsa judice, in praxique parum, aut nil utiles rejicimus: hoc principium generale, præmissæ debent continere conclusionem, in quo sequentes fundantur regulæ:

I. Nullus terminus debet latuis patere in conclusione, quam in præmissis.

II. Medius terminus debet semel saltim sumi universaliter.

Optimum est, ut sine ulla ad figuras, vel modos reductione quis possit judicare, an ratiocinatio vitiosa sit, an legitima, maxime si regulæ adsunt methodi syntheticæ infra tradendæ, quibus à falaciijs facile nos liberari possè crédimus.

DE METHODO.

TRIPLEX est genus rerum: alliæ sunt adeo claræ, ut ab intellectu certo cognosci possint: alliæ, quarum veritates nondum sumus assequuti, sed speramus eas olim assequuturos: alliæ denique sunt, de quibus imposibile est aliquid certo scire, sivè quia nobis principia dessunt, quæ ad illarum certitudinem, & veritatem ducant, sivè quia mentis nostræ captum superant: primum genus omnia complectitur, quæ demonstratione, sivè inteligentia cog-

cognoscimus: secundum eorum est, quæ quotidie Philosophos exercent, sed fieri pote t, ut illi inutiliter tempus ferant, si hoc genus à tertio nollint distinguere, id est, si quæ mens humana comprehendere potest, non sec. rnant ab iis, quorum illa non est capax: compendiosa enim ad scientias adquirendas via patebit, dummodo Philosophi abstineantur ab investigandis, quæ supra nos sunt, & quorum comprehendorum nulla spes rationalis adest: tales sunt questiones de D. O. M. potentia, quam ridiculum est brevibus humanæ mentis carceribus velle concludere: tales, quæ de infinito participant: mens enim nostra cum sit finita, cœcutit ad ad infinitum: tales denique plures alliæ, quæ in methaphisicis tractantur ab scholasticis nimis vagæ, nimis abstractæ, nimis que remotæ à principiis claris, & notis, quæ solutionem numquam invenient: his enim, & allijs similibus, qui responderit se nescire, se hæc non capere, unico instanti tantum adipiscitur, quantum aliqui per multa annorum lustra, & potiori titulo sapientis nomine gaudebit, quia simplex ignorantia melior est rerum similium scientia juxta illud.

Nescire quædam magna pars sapientiæ.

Sed tamen, sicut utile est captu dificilia, & inutilia despicere, ita etiam ea amplecti, quorum veritatem possumus invenire, inventamque comprehendere, sivè disquisitio fiat à causa ad effectus, quæ dicitur à priori, sivè ab efectibus ad causam, quæ dicitur à posteriori: hæc omnia posse assequi asserimus, mediante methodo, quæ appellari potest: ars bene disponendi seriem plurimarum cogitationum, sivè id fiat ad veritatem ignoratam investigandam, sivè ad veritatem notam alijs demonstrandam: methodus itaque duplex est, vel veritatem invenit, estque Analysis, sivè methodus inventionis; vel inventam docet, estque Synthesis, sivè methodus doctrinæ tradendæ.

Ad

Ad doctrinam methodi recte percipiendam necessariam putamus, quæstionum, & notionum unde quæstiones solvuntur notitiam: omne dubium quæstio dicitur, cujus solutio nil est alliud, quam judicium, seu enunciatio illius quod quærebatur; quia tamen omnis enunciatio tribus tantum constat partibus, nempe subjecto, prædicato, & assertione convenientiæ, vel discrepantiæ prædicati illius cum subjecto, ideo tria tantum possunt esse quæstionum genera, nec plura, nec pauciora: nam, vel dato atributo, quæritur illius determinatum subjectum, vel dato subjecto quæritur illius atributum determinatum, vel datis atributo, & subjecto, quæritur: an illud de hoc asserendum, necnè?

Notiones in quæstionibus, non nisi ex triplici fonte hauriri possunt, qui simul dicuntur veritaris fontes: tales sunt ratio, experientia, & alienum testimonium: solutio cujuscumque quæstionis ex hoc triplici fonte dependet.

Præcepta igitur Analiticæ methodi, quibus ducibus, lucemque afferentibus veritatem quæsitam tuto, rectaque via, quantum fieri potest, assequimur, astruimus necessaria:

I. Nullam quæstionem agredere cujus solutio non pateat ex terminis, nisi prænotaveris primi nè sit, an secundi, vel tertij generis, & nisi prius animadvertas an ejus solutio petenda sit necessrio à primo, secundo, tertio ve notionum fonte.

II. Si quæstio sit primi generis, & solutio ejus non pendeat necessario ab experientia, aut ab alieno testimonio, atributaque in quæstione apposita subjectum non manifestent, tunc cogita quænam allia atributa per consequtiones necessarias profluant ex ijs, quæ in quæstione posita sunt, subjectoque quæsito quadrent, quam deductionem proprietatum, ex proprietatibus eo usque producere, quousque aliqua invenies, quæ subjectum quæsitum veluti

ti digito demonstrent, aut collectio omnium exibeat, quod quæritur.

III. Si quæstio sit secundi, aut tertij generis, & solutio ejus non pendeat ab experientia, aut ab alieno testimonio, tunc meditare debes, quid tibi compertum esse oporteret, ut solutio quæstionis appareret: ita excitata animi fæcunditate senties; quod si hoc, vel illud tibi compertum esset, pateret etiam quæstionis solutio; quo supposito cogita: an certo, tutoque id scias: si sentias id te certò scire, jam quæstio soluta est; si verò minùs, seriò cogita: an id, quo certo cognito, solutio pateret, pendeat ab aliqua experientia, aut alieno testimonio; si constet ab aliquo ex his pendere, id consule cautionibus necessarijs, si verò non constet, cogita, quid aliud oporteret, te scire, ut solutio quæstionis appareat; & facile agnosces, quod si hoc, vel illud tibi appareret, & quæstionis solutio: quo suposito cogita: an illud certò, tutoque scias, si certum sit, & quæstionis solutio: si verò minus, eadem methodo eo usque progredere, dum pervenias ad alliquod prærequisitum ad solutionem quæstionis, quod vel ex terminis pateat, notio que id circo sit per se evidens, vel pateat è contra esse tibi cognitu imposibile, unde apparebit quæstionem â te solvi non posse: si vero ad alliquod prærequisitum devenias per se patens, certum tutumque, jam per necessarias illationes cætera quoque prærequisita patebunt, atque adeo quæstionis solutio.

IV. Si quæras: an atributum subjecto conveniat, alterum alteri convenire suppone, & quæ inde consequuntur atende: allias ex allijs legitimus illationibus deduce, quousque ad aliquam devenias, quæ vel cognitum verum contineat, vel falsum; si devenias ad consequutionem veram: ergo atributum quæstionis subjecto ejusdem certissimè convenit, quia ex verò falsum minime sequi potest: si verò ad falsam devenias: ergo atributum quæstionis

sub-

subjecto ejusdem minimè convenit, quia si conveniret, nil falsum posset inde colligi per necessariam consequutionem; cum absurdum sit ex verò falsum posse consequi.

Veritas Analytico modo quæsita, & inventa methodo synthetica allijs demonstratur: demonstrare est tam apte ad suadendum ratiocinari, ut qui idioma in quo loquimur intelligunt, assensum denegare serio minimè possunt ineluctabili evidentia coacti; ut verò hæc irresistibilis coactio obtineatur quatuor has leges captu facillimas, servari necesse est, earumque necessitatem astruimus:

I. Nullam vocem, aut loquutionem quæ sit, aut possit esse caliginosa, aut ambigua indefinitam adhibere debes, sed determinatum sensum, præcisamque significationem, in quibus tales voces, aut locutiones accipere vis advertere debes.

II. Voces, & locutiones semel prædefinitas in formandis ratiocinijs, in alium sensum per incuriam usurpare, cavere debes.

III. Nullam illationem deducito, quæ non sit necessario vinculo, & immediato annexa cum ijs, ex quibus eam colligis.

IV. Omnis propositio, ex qua aliquid perconsequens inferendum est, vel simplicis intuitionis sit, vel ex allijs præmissis simplicis intuitionis per necessarium consequens, evidentissimum quie deducta.

Utilitatem octo regularum generalium, quæ Arnoldus assignavit ad diversos Logicæ tractatus pertinentium, fatemur, & astruimus, quæ ita se habent.

REGULÆ DEFINITIONUM.

I. NIL in terminis obscurum, vel equivocum relinquere, quod non definiatur.

II. In definitionibus terminos usurpare, vel perfectè notos, vel prius explicatos. RE-

REGULÆ AXIOMATUM.

III. NULLUM axioma ponere, quod non sit evidentissimum.

IV. Id pro evidenti assertare, quod mediocri atentione cognoscitur esse verum.

REGULÆ DEMONSTRATIONUM.

V. OMNES propositiones subobscuras probare ope definitionum, præmissarum, axiomatum concessorum, vel propositionum demonstratarum.

VI. Numquam abuti terminorum ambiguitate, non suffectis definitionibus illos restringentibus, & explicantibus.

REGULÆ METHODI.

VII. RES tractare, quantum fieri potest secundum ordinem naturalem à simplicioribus, & generalibus incipiendo.

VIII. Dividere, quantum fieri potest, unumquodque genus in omnes species, unumquodque totum in partes suas, unamquamquem dificultatem in omnes cassus.

Præcepta ab Authoribus tradita ad rectam disputationem instituendam necessaria esse Philosopho sustinemus.

Post Carthesium, ejusque Sectatores, qui peculiari modo de methodo pertractarunt acriter disputatum est, an hæc vera mentis operatio dicenda sit, vel à judicio, aut discursu minime distincta, qua in rè parum utili judicium nostrum ferre nolumus, asserentes solummodo peculiarem de methodo tractationem necessariam esse.

Invaluerat per plura sœcula, & etiam nunc apud plures obtinet opinio artem silogisticam Divinum prope inventum esse, præstantissimumque scientiarum organum, quasi

si

si modi, ut aiunt, & figuræ silogismorum magica quapiam vi veritatem latentem alliciant: verùm bona pace eorum, qui ita opinantur eis subscribimus, qui artem silogisticam, nec ad inveniendum verum factam, nec ad inventi demonstrationem satis commodam, jure meritoque pronunciant; necessitatem igitur silogismi quantam scholastici vociferantur minime agnoscimus.

Non licere Philosopho unicam eligere sectam, aut in verba alicujus Magistri jurare sustinemus.

Ideæ non sunt figmenta ut aliquibus placet.

Ideæ non sunt ipse Deus, ut voluit Malebranchius.

Ideæ omnes à sensibus non immituntur.

Libratis pro utraque parte momentis provabiliorem judicamus sententiam asserentem nonnullas esse ideas innatas, ut S. P. Augustinus pluribus in locis tradidit.

Ut veritatis chriterium statuimus principium illud: quidquid in idea, &c.

Illam amplectimur sententiam, quæ asserit: sensus non representare objecta ut sunt in sè.

EX METHAPHISICA.

HANC Philosophiæ partem, quæ Methaphisica appellatur, aut quia de rebus Divinis, & maxime reconditis, aut quia de rebus quæ Phisicam superant contemplationem, agit, distincte, & distribute tractari oportere dicimus.

DE ENTE.

ENTIS naturæ notitiam, necnon ipsius principiorum, affectionum, & proprietatum valde utilem, & necessariam esse Philosopho credimus.

Possibile subjective & Phisice nil allud est, quam ipsa essentia Divina; objective vero, & Methaphisice constituitur

tuitur per non repugnantiam in prædicatis suæ quidditatis.

Existentiam esse idem realiter cum essentia asserimus.

Substantiæ nomine intelligimus rem per se existentem, si sermo sit de substantia abstractive considerata; at verò si de substantia singulari sermo sit, nil aliud intelligimus substantiæ nomine, nisi subjectum innotum.

Per modum intelligimus omne id quod ita substantiæ inhæret, ut sinè respectu ad illam minime possit concipi.

Nomine relationis intelligimus ordinem unius ad aliud; sed quod talis ordo sit entitas, modus, aut aliquid reale in rebus creatis, quæ sub Philosophica cadunt contemplatione, non intelligimus; titulo enim superfluitàtis supradictas relationis rejicimus.

DE CAUSIS.

VALDE necessariam esse Philosopho causarum cognitionem fatemur.

Causæ secundæ aliquid agere, & efficere, contra Philosophos activitatem omnem cræaturis denegantes sustinemus.

Deus immediate concurrit cum omnibus caussis ad effectus suos.

Concursus Dei non est Phisicè prævius respectu causæ secundæ.

Deus præmovet causas necessarias sola præmotione generali.

Eâdem præmotione generali Deus præmovet causas liberas ad ea, quæ sunt ordinis naturalis.

Fatum, prout ab Hæreticis Planetarijs, & ab Stoicis acceptum, toto corde rejicimus.

DE

DE THEOLOGIA NATURALI, SEU DE *Spirituum natura.*

SUPREMI Numinis ideam humanis mentibus inditam, seu innatam esse asserimus.

Supposita Dei idea singulis hominibus congenita, Deum ipsum existere facile demonstratur.

Quoniam verò idea entis perfectissimi, ex qua modo demonstrabatur, Deum existere, utrum reapse sit cuique congenita, non est adeo ita certum, ut ex ea possint Athei evidenter convinci: ex argumentis Phisicis, Methaphisicis, & Moralibus Deum existere apertissime demonstratur.

Nullus sunt roboris momenta, quibus Atheistæ probare conantur Deum non existere.

Unitas Dei invictissimis potest demonstrari contra Politheos, & Scriptores Ethnicos.

Non dantur duo Summa principia, unum boni, & alliud mali Causa, ut voluerunt Marcionitæ, & Manichei.

Deus est purus, ac simplex Spiritus.

Deus est infinitus, immensus, & immutabilis.

Deus est omnipotens, & Summe verax.

Deus est Summe providus, & providentia sua gubernat, etiam vilia, ac minima, quidquid in contrarium blaterent Deistæ, & falsi Philosophi.

Mentes humanæ non sunt particulæ substantiæ Dei, nec à parentibus traductæ per virtutem seminalem.

Humanam mentem à natura corporea prorsus esse diversam, adversus Materialistas propugnamus.

Animorum immortalitatem, quam, ut se cupiditatibus traderent, totis Lacertis impugnare conati sunt Athei, & alij falsi Philosophi, pront Catholicos decet Philosophos firmissimis demonstramus momentis.

Anima rationalis de facto unitur corpori, cujus est forma.

Unio

Unio mentis cum corpore, quæ nec est mere localis, nec affectiva, nec intentionalis, sed substantialis Physica, consistit in mutuo commercio ipsam inter & corpus.

Circa tempus infusionis animæ in corpore varijs sunt Doctorum sensus; sed eis subscribimus, qui asserunt animam infundi in principio generationis.

Tanquam fabulam rejiciendam putamus Aristotelis opinionem, tres successivè animas humano corpori tribuentem, quadraginta dierum spatio in humana generatione.

Plures sunt animæ potentiæ, inter quas primum obtinent locum intellectus, & voluntas.

EX ETHICA

De actionibus humanis.

LEX, & conscientia, sunt humanarum actionum regula.

Actiones humanæ ex subjecto recipiunt bonitatem vel malitiam.

Legem fieri debere ad communem utilitatem contra Machiabellum, aliosque pseudopoliticos asserimus.

Circa humanarum actionum præmium, nempe objectivam hominis beatitudinem, tanta fuit opinionum varietas ut S. P. Augustinus plusquam centum hac de re sententias enumeret: nos verò principaliores tantum refellere intendimus asserentes:

I. Divitiæ non sunt objectiva hominis beatitudo.

II. Voluptates corporeæ non sunt objectiva hominis beatitudo, ut Sardanapali, Heliogabali, & impius Mahumetes voluerunt.

III. Solus Deus est objectiva hominis beatitudo.

DE NATURA JUSTI.

DEscriptionem juris naturalis ab Hobbesio, & Spinosa excogitatam tanquam naturæ contrariam, & reipublicæ eversivam toto corde rejicimus. Mons-

Monstruosa sunt, quæ ex eorum falsa juris naturalis descriptione profluunt paradoxa: talia sunt:

I. Cuilibet concessum esse jus contra alios in infinitum.

II. Injuriam dari civi ab imperante non posse.

III. Jus naturale uniuscujusque non in sana ratione, sed cupiditate determinari.

IV. Neminem absolutè debere promissis stare, nisi ex metu majoris mali, vel spe majoris boni; quare pacta nullam vim habere possunt.

V. Bellum, ut ritè geratur, sufficere ejus rei habere voluntatem, & alia hujus generis plurima, quæ omnia pari modo rejicimus.

Nos verò per naturæ jus intelligimus radius æternæ legis nobis applicatus, seu facilitas mentis nostræ ad præcepta quædam rationi conformia percipienda per internam conscientiam: per justum verò intelligimus doctrina moralis, quæ docet socialiter vivere, id est ita actiones nostras externas instituere, ut placida semper cum alijs societas colatur, & externa fælicitas promoveatur: ex quibus sequentes profluunt assertiones, quas propugnandas astruimus:

I. Societas est homini naturalis.

II. Homo sine alterius consortio vivere non potest.

III. Vita à Deo in societatis usum data conservari debet, tum quantum ad corpus, tum quantum ad animam.

IV. Ad societatem servandam apperta lex est naturæ, neminem esse lædendum, & damnum illatum esse reparandum.

V. Ut societas colatur tenemur ad humanitatis, & hospitalitatis officia: necnon ad bona alijs præstanda, & ipsos benè faciendo quantum possumus juvare: tandem ad pacta servanda.

VI. Pari jure ad loquelam, vel silentium temperandum prout socialitati convenit. Men-

VII. Mendacio jura societatis humanæ violantur.

De præceptis honesti, & natura virtutum.

TRIA sunt principia honesti: I. Ex amore rationali omnia agenda, vel omitenda, quæ securitatem nostram efficiunt firmiorem, id est societatem, quam colimus cum alijs paccatissimam, maximèque commodam. II. Ex amore rationali omnia agenda, vel omitenda, quibus corporis sanitatem conservare, & procurare possumus. III. Ex amore rationali omnia agenda, vel omitenda, quibus mentis tranquilitatem nobis comparamus.

Primum præceptum, quod ex amore securitatis, & socialitatis fluit cum laude præstari posse dicimus harum virtutum exercitamento: I. Justitiæ. II. Philausiæ. III. Probitatis. IV. Placabilitatis. V. Æquabilitatis. VI. Humanitatis. VII. Beneficentiæ. VIII. Gratitudinis. IX. Fidelitatis. X. Veracitatis. XI Taciturnitatis. XII. Parrhasiæ. XIII. Obedientiæ. XIV. Reverentiæ. XV. Misericordiæ. XVI. Congratulationis. XVII. Diligentiæ.

Secundum præceptum, quod ex amore sanitatis fluit cum laude præstari posse, dicimus harum exercitio virtutum: I. Laboriositatis. II. Parcimoniæ. III. Sobrietatis. IV. Castitatis: Circa sobrietatem duo propugnanda veniunt.

I. Ante dilubium licitus fuit carnis esus, etsi non naturalis.

II. Licitus est vini usus.

Tertium præceptum, quod ex amore tranquilitatis fluit cum laude præstari posse dicimus, affectuum nostrorum, nempe Amoris, Odij, Desiderij, Spei, Metus, Tristitiæ, Iræ, &c. legitima directione, harumque exercitio virtutum nempe Patientiæ, Æquanimitatis, Mansuetudinis, &c.

DE

DE DECORO.

DECORUM est insigne honestatis ornamentum; quo fælicitas nostra in hac vita ad summum ferè gradum extollitur, estque doctrina moralis, quæ docet prudenter actiones nostras, ac indiferentes ad aliorum sensum, judiciumque commune moderari; ut nostri irrisionem, ac fastidium vitemus: habitus per decoras actiones acquisitus dicitur urbanitas, quia talis virtus in Urbibus floret, & ei oppositum vitium dicitur rusticitas: decorum autem cum laude præstatur, si decori leges cujuscumque hominis status, conditionis, ætatis, & sexus fideliter observentur.

DE POLITICA.

SOCIETATES, aliæ sunt simplices, aliæ compositæ: Simplices sunt, quæ ex simplicibus constant personis, quarum quælibet peculiaria habet officia, quæ si fideliter observentur perfecta, & florida absdubio emergit Civitas; nam ex societatibus simplicibus, quæ tres communiter asignantur nempe: I. Matrimonialis inter marem, & fœminam. II. Paterna inter Parentes, & Liberos. III. Herilis inter herum, & servos, intercedens, constituitur societas composita, seu societas Civilis: in hac enim pro diversitate subjecti, cui imperium commissum est, diversa est regiminis forma: vel unicus in ea imperat, & guvernat, est que Monarchia, vel certus Nobilium numerus guvernat, estque Aristocratia, vel tandem Populus ita guvernat, ut quilibet Paterfamilias jus habeat suffragij, estque Democratia: Monarchia alia est electiva, alia hæreditaria: prima est in qua Sceptrum Reipublicæ suffragijs, alicui principi demandatur: secunda in qua Sceptrum à Parentibus ad posteros transmititur, ex quibus sequentes propositiones propugnandæ veniunt:

Regi-

I. Regimen Monarchicum est omnium præstantissimum.

II. Monarchia hæreditaria præstantior est electiva.

III. Principibus ratione imperij competit potestas legislatoria, quâ omnibus, & singulis Civibus præcipere possunt quid ab ipsis faciendum, & abstinendum sit.

IV. Eâdem ratione ipsis competit potestas judicialis, nempe facultas examinandi actiones Civium, an cum præscripto legis congruant.

V. Pariter jus vitæ, & næcis ad stabiliendam civitatis tranquillitatem.

VI. Necnon jus constituendi Magistratus.

VII. Simul jus indicendi tributa.

VIII. Eodem modo ipsis convenit jus belli, & pacis, quidquid in contrarium dicant Pseudo-Politici, & falsi Philosophi.

IX. Tandem jus instituendi Collegia & Academias.

X. Nullius sunt ponderis momenta quibus Pseudopolitici prædicta legitima regalia jura evertere conantur.

XI. Jure optimo talia monstra deberent à Patria arceri, quæ nullam societatis legem agnoscunt, humanitatis jura contemnunt, Populos fascinant, & Statum omnem, seu rempublicam, quantum est ex se pænitus evertere intendunt.

XII. Platonis respublica in qua uxores, filij, & omnia sunt communia meritò damnatur.

XIII. Reipublicæ interest statim à principio, puerorum, & juvenum institutioni, & educationi prospici.

EX PHISICA GENERALI.

De Corpore naturali, ejusque principijs.

CORPUS naturale, quatenus naturale, esse Phisicæ objectum, una fermè Philosophorum vox est: quamobrem

obrem existere corpora haud foret dubitandum; verum cum Carthesius dubiam fecerit Corporis existentiam, ita ut Malebranchius Divinâ tantum fide eam constare crediderit, & Bœlius, atque Hiberni quidam appertissimè eam oppugnarint, existere corpora ante omnia asseramus oportet; dicentes.

Corpora non tantum probabile est existere, sed de facto existunt.

Circa corporis naturalis principia variæ fuerunt Philosophorum opiniones, in quarum varietate, his tantum contenti sumus:

I. Principia Corporis naturalis sunt materia, & forma.

II. Talia principia non nisi Metaphisicè, & in abstracto fuerunt ab Aristotele assignata.

III. Præfata principia prout ab Aristotele exposita, nil ferè ad Philosophiam naturalem deserviunt.

IV. Materia malè deffinitur à Peripateticis.

V. Quid tamen sit in rè Phisica materia incertum est.

VI. Forma materialis solum consistit in diversa partium materiæ dispositione.

VII. Formæ materiales prout à Peripateticis asseruntur sunt penitus inutiles.

VIII. Nullæ dantur formæ accidentales in sensu Peripatetico.

IX. Ex accidentibus spiritualibus naturalibus minimè probatur talium formarum existentia.

X. Nec ex accidentibus spiritualibus supernaturalibus probatur existentia formæ accidentalis in sensu Peripatetico.

XI. Nec tandem ex venerabili Eucharistiæ Sacramento.

XII. Sententia negans accidentia entitativa in sensu Peripatetico, optime congruit cum eis, quæ in Sacris Concilijs

cilijs sunt stabilita circa venerabile Eucharistiæ Sacramentum.

XIII. Pari modo congruit cum Decreto Concilij Constantiensis in quo damnatur secundus Wiclefi articulus.

De Corpore, quatenus est continuum.

I. CONTINUUM non constat ex partibus in infinitum divisibilibus.

II. Continuum componitur ex indivisibilibus.

III. Indivisibilia, ex quibus constat continuum, non sunt Zenonica, aut Mathematica, ut Zenoni alijsque Stoicæ disciplinæ Alumnis placuit.

IV. Indivisibilia, ex quibus constat continuum sunt Phisica, & extensa.

DE LOCO, ET VACUO.

I. NEUUTONO, Keil, alijsque adhærentes locum à corporea natura diversum esse arbitramus.

II. Locum meritò spatium denominari dicimus.

III. Spatium est entitas realis, ut vult Isaacus Neuutonus.

IV. Nullius sunt ponderis momenta, quibus utitur Leibnist ad asserendum spatium esse merum nihil.

V. Dari in natura vacuum disseminatum & ratio, & experientia suadent.

VI. Naturam vacuum horrere purum est figmentum.

VII. Quæ metu vacui accidere dicuntur, solam gravitatem äeris agnoscunt, ut causam.

DE

DE MOTU.

MOTUM in natura dari, uti certum in præsentiarum suponimus: at motus cum sit effectus realis, realem habere debet causam, quare de primaria loquendo dicimus.

I. Primaria motus causa est ipse Deus.

II. Corpora non posse in sè motum producere & materiæ natura, & experientia ipsa demonstrant.

III. Corpus de sè indiferens est ad motum, & quietem.

IV. Motus, & quies in aliquo positivò realiter consistunt.

V. Omnia possunt satis commodè in natura explicari unico motu locali.

VI. Leges motuum à Cartesio latæ, non possunt tuto defendi.

VII. Plura sunt, & quidem mirabilia, quæ ope virtutis elasticæ in natura explicari possunt.

DE GRAVI, ET LEVI.

I. CORPORA gravia versus terræ centrum descendunt.

II. Corpora gravia ad terram linea recta descendunt, dummodo nullum adsit impedimentum.

III. Motus gravium deorsum non provenit ab efluvijs terræ magneticis.

IV. Motus gravium est acceleratus in eodem medio.

V. Nulla datur in corporibus positiva levitas.

DE LUCE, ET COLORIBUS.

I. LUMEN non est qualitas entitativa ut volunt Peripatetici.

In

II. In eorum Sententia, qui asserunt lumen esse qualitatem entitativam non rectè explicari potest luminis propagatio.

III. Nec luminis reflectio.

IV. Nec tandem luminis refractio.

V. Lux est substantia, nempè corpuscula subtilissima, sine quibus intelligi nequit.

VI. Lumen consistit in motu tremulo, vivido, ac citatissimo, quo globuli ætherei celerrimè vibrantur, qui quidem motus eis communicatur à corpore luminoso, cujus omnes, & singulæ partes simili tremore cientur.

VII. In hac sententia optime explicatur luminis propagatio; reflectio; & refractio.

VIII. Pariter explicantur, quæ videntur micantia in lapide minerali, qui agro Bononiensi effoditur liteosforos appellatus.

IX. Item explicantur, quæ pertinent ad Cincindelæ lumen.

X. Tandem explicari potest quare squammæ plurimorum piscium, lignum putridum, Luciola, & alia in tenebris aliqua videantur luce micare.

XI. Nec non lumen, quod in Fellium oculis in tenebris observatur.

XII. Nihilominus probabilis est sententia asserens, lumen consistere in corpusculis purissimis, ac nobilissimis ignis à Sole evibratis.

XIII. Quæ in contrarium objiciuntur facillimè solvuntur ab hujus sententiæ Patronis.

XIV. Color non est qualitas entitativa à lumine distincta.

XV. Color consistit in certa luminis reflectione, aut modificatione.

XVI. Fictitium est discrimen inter coloros veros, & apparentes.

DE

DE SONO.

I. SONUS non est qualitas ad sensum Peripateticorum.

II. Corpora sonora sonum non edunt, nisi motu quodam tremulo feriantur.

III. Corpus sonorum dum tremit simili tremore aërem movet.

IV. Aër motus tremorem auris tympano communicat.

V. Sonus succesivè propagatur.

VI. Sonus secundo vento citius auditur, tardius verò adverso.

VII. In hac sententia optime explicatur, cur una cordà pulsata altera sibi consona intacta resonat.

VIII. Denique: cur sonantibus organi pneumatici fistulis scamna, & tabulata tremant.

DE CALIDO, ET FRIGIDO.

I. CALOR non est qualitas entitativa in sensu Peripatetico.

II. Si calor esset qualitas entitativa explicari minimè posset, quomodo calor à frigido in frigido generetur.

III. Calor consistit in motu celeri & perturbato partium insensibilium corporis.

IV. Ita explicato calore, optime etiam explicantur quæcumque caloris ope in natura eveniunt.

V. Antiperistasis Peripateticorum merum est figmentum.

VI. Frigus activè consistit in actione infrigidante, quæ motum particularum sistit.

De

De Cœlo, & Corporibus Cœlestibus.

I. SISTHEMA mundi Ptolemaicum legibus mecanices, & principijs Phisicæ repugnat.

II. Cœlum sydereum nil est aliud quam sùbtilissima substantia æthærea.

III. Cœlum fluidissimum esse, non nisi irrationabiliter negari potest.

IV. Cœlorum distinctio, & multitudo purum est figmentum.

V. Si in rigore loquamur, duo tantum sunt Cœli Empyreum, nempe & æthereum.

VI. Stellæ fixæ propria fulgent luce, non ita Luna, & alij Planetæ.

VII. Sol est verissimus ignis.

VIII. Probabilior est eorum sententia, qui asserunt Lunam, & alios Planetas esse corpora terrestria.

IX. Cœlum non movetur ab extrinseco, ut parum Philosophicè loquentes volunt Peripatetici.

X. Valde verisimile est Planetas aliquos esse habitatos.

XI. Planetæ agunt in corpora sublunaria.

XII. Talis actio, vel influxus non in alio consistit, quam in lumine, & calore.

XIII. Astrologi, & Astronomi certò pronuntiare possunt ortus, & occassus Planetarum, Eclipses, &c. Sed nil certò pronuntiare possunt circa hominum fortunam, vitam, aut mortem; bella, pacem, &c.

XIV. A præjudicijs oritur, quod ad certas lunationes, certasque Lunæ phases attendant Agricolæ, vel de amputandis arboribus, vel de seminibus terræ commitendis, vel de alijs hujusmodi cogitantes.

De Elementis.

I. TRIPLEX materiæ species à Carthesio asignata non sunt reipsa mixtorum elementa.

II. Substantiæ à Chimistis è corporibus extractæ, non sunt eorum elementa.

III. Ignis vulgaris, aër, terra, &c. non sunt propriè, & rigorosè corporum elementa.

IV. Ignis, aër, &c. in statu suæ primogeniæ puritatis sunt corporum mixtorum elementa.

V. Ignis aër, &c. supradicto sensu considerata sunt ingenerabilia, & incorruptibilia.

VI. Præter quatuor prædicta alia plura elementa sunt admittenda.

VII. Elementa à se invicem in se inviecem transmutari non possunt.

VIII. Elementa manent actu & formalitèr in mixto.

DE IGNE.

I. IGNIS est fluidum constans particulis tenuissimis, angulosis, rigidis, turbinato, celeri, perturbatoque motu intra sè invicem per modum ebullitionis discurrentibus.

II. Ex allata ignis explicatione, quam optime intelliguntur phenomena ignis.

III. Primo: Cur ex atritu calibis, & silicis generetur ignis.

IV. Secundo: Cur si spiritus nitri, vel aqua stigialis misceatur cum oleo extracto, vel è cinnamomo, vel è ligno sancto, vel è cornibus cervi, &c. statim ignis accenditur.

V. Tertio: Cur fulgura intra nubes formentur.

Quarto:

VI. Quarto: Cur rotæ curruum ignem concipiunt, quà parte tangunt axem, & alia quàm plurima.

VII. Ignis sphæra in concavo Lunæ purum est figmentum.

DE AERE.

I. AERIS particulæ ramosæ sunt.

II. Aër est maximè diafanus, quia plurimam materiam æthream, præsertim globulosam intra ramorum interstitia continet.

III. Aër est valdè compressibilis, & maxima pollet virtute elastica.

IV. Aërem gravem esse, quam plurimis experimentis demonstrari potest.

V. Nubes sunt congeries halituum cum novo densitatis gradu, qui per terræ rimas, ac subtiles fissuras egrediuntur.

VI. Nubes ascendunt per aeris gravitatem respectivam, & cum ipso librantur.

VII. Pluvia est aqua ex concrescente nube guttatim decidens, illius causa materialis est aqueus vapor.

VIII. Guttæ aquæ, dùm pluit æstivo tempore, majores sunt, quia caloris vi plùs vapores rarescunt, & sic altiùs elevati, in unam possunt potius coagulari guttullæ, ad quod maximè conducit materia oleoginosa, qua æstate vapores permiscentur.

IX. Pluviæ colorem sanguineum habentes, causam habent naturalem, nempe halitus ex terra rubra ascendentes.

X. Nix nil est aliud, quàm nubes congelata.

XI. Grando est pluvia in aere congelata.

XII. Decipiuntur Peripatetici, dum asserunt, frigiditatem mediæ regionis aeris aquam in grandinem coagulare posse.

XIII. In grandinis formatione particulæ nitrosæ, seu spiritus salis nitri primum obtinent locum.

XIV. Materia fulguris sunt exalationes sulfureæ, quæ simul cum alijs fulgurantem nubem componunt.

XV. Potissima causa quare fulgur accendatur sunt oppositi sales, qui statim ac permiscentur ita tumultuantur, ut ingentem calorem, immò & flammam excitant, ut videre est, in calce, & aqua permixtis, in oleo vitrioli, & aqua stigiali.

XVI. Tronitruúm formatio in nubibus non consistit in violenta nubis fractione.

XVII. Tonitrus fit ab ingenti aeris commotione, orta ex subitanea inflammatione.

DE AQUA.

AQUA communiter dicitur elementum ex particulis oblongis, insensibilibus, & lævibus constans.

Ingens aquarum congeries mare denominatur, in quò plura sunt cogitationis digna, sed prætermisso ipsius fluxus, & refluxus motu, tanquam phenomenon difficillimum, in nulla sententia ut par est, satis hucusque explicatum, ad alias ipsius proprietates explicandas transire oportet: Pro quo sit!

I. Mare habet motum circulationis per terræ vicera.

II. Mare caspium est propriè mare.

III, Idem dicimus de mari Rubro, quod cum Mediterraneo communicat, ut aliquando experientia compertum fuit.

IV. Salcedo Maris minimè oritur ab halitibus terrestribus aquæ marinæ permixtis, ut docent Peripatetici.

V. Maris salsedo non provenit à fervore solis.

VI. Maris Salsedo provenit à varijs salium rupibus in fundo maris passim dispossitis.

Fon-

VII. Fontes omnes suam trahunt originem à mari, sivè mediatè, sivè immediatè.

DE TERRA.

I. DECIPITUR Aristoteles dum asserit, terram esse quadratam.

II. Montes globo terraqueo fuerunt necessarij.

III. Montes decrescunt, valles, planaque attolluntur.

IV. Lapides minerales verè vivere, credimus.

V. Saxa omni vita esse destituta fatemur, & sola extrinseca particularum aggregatione crescere.

DE GENERATIONE.

I. OPUS generationis non fit modo, quo Peripatetici docent; quare tractatus de generatione, prout ab ipsis traditur, penitùs est inutilis, & rejiciendus.

II. Nulla datur generatio in sensu vulgari Philosophorum.

III. Generatio est seminum nutritio, & explicatio.

IV. Animalia omnia, etiam minima insecta, ex seminibus, seu ovis nascuntur.

V. Plantæ omnes per semina à Deo creata ab exordio mundi, nascuntur.

VI. Quædam plantarum species in animalibus dantur.

VII. Cornua, & ungues, sicut etiam dentes, & pili sunt verè plantæ.

VIII. Revera dantur virtutes Bothanicæ.

IX. Bruta animalia revera sentiunt.

X. Bruta habent animam cognoscentem.